

(1)

*Annotationes primæ ad Chronicon Marmoreum,
de Morte Darii Hystaspis, &c.*

VELIM fanè ad magis asserendam Marmorei hujus Chronici dignitatem & Autoritatem, quam equidem maximopere assertam cupio, ut, perinde ac de Consularibus Romanorum Fastis Marmoreis, ante annos plus minus octoginta Romæ in Comitio effosis, memoriæ mandetur, ubi, quando, & quomodo, inventum sive repertum fuerit; quod etiam forte nonnihil ad melius intelligenda ejus nonnulla conduxerit. Quum vero citimus ejus terminus sive finis fixus sit principio Olympiadis centesimæ vicesimæ nonæ; primû animadverti idem ipsum esse tempus suscepti à Romanis, scilicet Appio Claudio Caudice & Marco Fulvio Flacco Consulibus, belli Punici primi, adeoque primi transmarini, nimirum in Siciliâ geri cœpti (scilicet ubi Polybius suam Historiam inchoavit, quem terminum etiam Historiæ suæ posuit Dionysius Halicarnasseus, qui & ipse quoque breve Chronicon per Atheniensium tempora digestum edidit.) Unde subinde subit animum meum suspicio, quam tamen adjunctum Smyrnæorum & Magnesium fœderis monumentum nonnihil retundit, an non ad Pharum Insulam Adriatici maris aliquo modo spectet, & ipsam quidem Pariorum Coloniam, secundum Oraculum quoddam conditam, Dionysio Seniore Siciliæ tyranno auxilia suppeditante, anno quarto Olympiadis nonagesimæ octavæ, Archonte Athenis Dexitheo, juxta Diodorum Siculum, libro 15. Hoc tantum ausim dicere me haud temere credere posse, Epocham Chronici Marmorei casu fortuito incidisse in initium primi Romanorum belli Punici, primi inquam transmarini, ejusque in Siciliâ suscepti.

Porro quod anno 1252. mancum extat --*νινυς ἐβασιλίσσων*, forsitan non tam Phœnices reges Cadmum & Phœnicem, quam Laconices Eurotam & Lacedæmonem spectat: quandoquidem auctor ferme intra Græciæ fines se continet, nisi in Persicis Imperatoribus, sed & iis finium Græciæ inuasoribus.

Ad annum 292. nempe primum Olympiadis quinquagesimæ sextæ, nomen Archontis Atheniensis mutilum --*δήμω*, quod Latine redditur Populo, mea series summorum Magistratum Romanorum & Archontum Atheniensium manuscripta ante annos sedecim, unâque cum aliis manuscriptis nostris apud me suppressa, & in tenebris delitescens, exhibet Euthydemum: autore, si bene memini, libris jam ferme biennium viduatus, Diogene Laertio in vita Chilonis:

Anno 253. quarto Olympiadis sexagesimæ quintæ, initium regni Darii Hystaspidæ, Mago defuncto, positum quadriennio serius quam Ptolemæo Astronomo, & aliis, videtur commodissime referri posse ad Babylonem ab eo captam Zopyri dolo, quam antiquissimam Imperii Metropolitim Magi factio, & forsan aliquis ex eadem Consanguinitate eo usque rebellem contra ipsum tenuerat: quâ occasione postea idem Darius appellatus sit Assyrîæ Rex, Ezræ 6. quemadmodum annotavi nostra Emendatione Temporum ad annum Mundi 3489.

Anno 227. ac secundo Olympiadis septuagesimæ secundæ nomen Archontis Atheniensis oblitteratum, relicto solum, secundo, *δευτέρω*, quo Datis Darii Hystaspidæ Dux prælio Marathonio à Miltiade & Atheniensibus profligatus est, restituitur è Plutarcho in Aristide, Phanippo sive Phænippo secundo. Fuit autem prior Phænippus Archon, initio Olympiadis quadragesimæ octavæ, juxta Clementem Alexandrinum, primo Stromate, si recte memini: cum apud Eusebium in Chronico, idem Phænippus Archon Athenis, tanquam ex eodem Clemente referatur ad Olympiadem 47. Insequente Anno, nempe 226. (Cita enim legendum apparet, licet Seldenus ambigat utrum ita, an 225. uno

A a

anno